

CRITICA HERMENEUTICA.

Hor. serm. I 4, 6 seqq. de Lucilio: „durus componere uersus, ... (sequitur *periodus διὰ μέσον*) garrulus atque piger scribendi ferre labore, scribendi recte: nam ut multum nihil moror.“ Errant, qui arbitrentur hoc concedendi cum sensu dici cum ellipsi dura et intolerabili ut „quamuis multum <scripserit> nihil ad me“. Immo ut epist. I 15, 16 „uina nihil moror illius orae“, ita hoc loco dicitur: nihil moror ut hominem multum, i. e. copia uerborum molestum. Plaut. Men. 316 „hominem multum et odiosum mihi“, Cic. de or. II 17 „qui ... in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus esse dicitur“; 358 „ne in re nota et peruulgata multus et insolens sim“. Verba in parenthesi posita: „nam fuit hoc uitiosus: in hora saepe ducentos, ut magnum, uersus dictabat stans pede in uno; cum fueret lutulentus, erat, quod tollere nelles satis sunt obscura: tacent ueteres interpretes. Qui poetam stare in suo ipsius altero pede ducunt instar eiconiae uel phoenicopteri, ii demonstrent oportet, hominem Latinum dixisse stare *in* pede pro stare pede capite similibus. Dixit Horatius potius illum stetisse uno in pede, ut Terent. Hec. 14 „in eis ... partim uix steti“, in uersu eum uitiosum et durum fuisse, i. e. in numeris quos dicit u. 7 (uide ad Lucil. 1294). Cum fueret lutulentus Graeco more dictum ut Strabo VII p. 330 frag. 21 ὁ Ἀξιός θολερὸς φεῖ. Valet in hac ecloga codd. *FX'* auctoritas: itaque u. 65. 70 Sulgius nomen scribendum, non Sulcius, quod caret testimonio et lapidum et alio: Sulgii C. J. L. VI 26939 VIII 14854 Dessau J. L. S. 2764.

Bonnae.

Fridericus Marx.